

siſto usque ad H &c. prout equidem hæc circumſtantia à Doctiſſimo *Montanario* jam annotata fuerat.

X. Subitaneum tamen calorem, eſſi ſatis intenſum ferre poſſe has guttas, eo experimento didicimus, quo plumbeam ipſiſ induturi tunicam, intra quam concluſæ poſt rupturam particellas eodem ordine poſituque contiguas, quo priùs continuæ fuerant, exhiberent, in liquefacto ad ignem plumbo, poſteaquam tantillum id refrixiſſet, fluore tamen adhuc ſervato, eas convolvimus, ita plumbeo cortice undique teſtas, niſi quòd cauda magnam partem nuda promineret. Ibi verò refractâ pro more extremâ cuspide, non ſolùm cauda reliqua extra plumbum prominula ſolitam pulverationem paſſa eſt, ſed eandem etiam ad intimiora penetrâſſe, manifeſta ſe prodebant indicia, propiore deinceps inſpectione confirmata, poſteaquam diſſectâ cruſtrâ plumbea, interiorem incluſæ guttæ ſtatum luſtrare cœpimus.

Phæn. XIII.

XI. Obvolveramus etiam argillâ ſive terrâ figulinâ aliquas harum lachrymarum, & exſiccato lentè hoc indumento, caudas tantillum prominentes diſrupimus; abraſoque leniter ex una parte luto, guttam quidem intuitu primo integram & externâ formâ ſalvam hic æquè ac antea intra plumbeum capulum ſepultam deprehendimus, ſed propiùs admotis oculis ex mero pulvere & particulis minutiffimis, poſitûs priſtini ordine ſervato integritatem & continuitatem quoque priſtinam mentientibus, reverà tamen aſtù ſeparatis, conſtare non vidimus tantùm, ſed contactu levi ampliùs demonſtravimus. Quæ quidem obſervatio notatu digniſſimam hanc circumſtantiam objiciebat, quòd ruptura hæc & pulveratio lachrymarum non irregulari & confuſo modo contingat, ſed ordinatè valdè atque ita, ut non ſolùm tota earum longitudo circulis arctioribus & ſenſibiliter parallelis exterius diviſum ambitum exhibeat, veluti Num. 3. videre eſt, ſed intus etiam ad axem usque medium hic circulorum parallelismus continuetur, non rectâ tamẽ & perpendiculariter

Phæn. XIV.

N

ad